



* Diese Ausg. 10 g
Lg

1035

4
Quod Deus secundet!
Circa Questionem Metaphysicam:

Utrum causa efficiens prima de-
terminet ad agendum secundam; an vero se-
cunda ad concurrendum primam:

DISPUTATIO PRIMA,
De

**NATURA ET
DEFINITIONE CAU-
SÆ EFFICIENTIS;**

Quam

In illustri Salana,

Speḱtabili Philosophorum Senatu
benevole suffragante,

THEODORICUS TREUNERUS,
Singena-Thuringus, Philosophiæ Magister,
PRÆSES,

&

JOHANNES REINHOLDUS,
Salfeldensis Thuringus,
RESPONDENS,

Publico sistunt examini

Idibus Sextilis

clō Idc LVI.

Epoche Christiana.

JENÆ,

Imprimebat SAMUEL KREBSIUS.

Peregrinio In. Cellaario

4.

Quod Deus secundet
Circum Questionem Metaphysicam
Utrum causa efficiens prima de
terminet ad agendum secundam; an vero se
cunda ad concurrendum primam;

DISPUTATIO PRIMA

NATURA ET
DEFINITIONE CAU-
SAE EFFICIENTIS;

In Illustri Salana
Specstabili Philoſophorum Senatu
benevole ſuſcipiente
THEODORICUS TREURNERUS
Singenſis Thuringus Philoſophiæ Magiſter
P R E S S

JOHANNES REINHOLDUS
Salleſidensis Thuringus
R E S P O N D E N S

Publico ſubſtituto examini
liberæ ſententiæ
die 10c Julij
Episcopi Cæsariensis

1704
Impreſſoribus Samuel Krieger

Reverentissimo Dno. Collegio



*PERILLUSTRI ET GENEROSISSIMO
COMITI AC DOMINO*

DOMINO

ALBERTO
ANTONIO

SACRI ROMANI IM-
PERII QUATUORVIRO
COMITI SCHWARZBURGI
ET HOHNSTEINII DOMINO ARN-
STETI SONDRSHUSÆ LEUTENBERGÆ
LOHRÆ CLETTENBERGÆ

*CORUSCO SINCERÆ PIETATIS EXEMPLO
PERVETUSTI STEMMATIS SPLENDORI
NATALIS SOLI ATQVE SOLII GLORIÆ
MAGNO BONARUM MENTIUM DELICIO*

UNI OMNIUM PARENTIUM
AMORI DESIDERIO EXSPECTATIONI

MEORUM SIQVA SUNT STUDIORUM

DEO TUTELARI
CLEMENTISSIMO

QVICQVID AB SUMMO
RERUM ARBITRO PROFI-
CISCITUR SALUTARE SERIO
AC ARDENTER APPRECOR

ET

PHILOSOPHICUM HOC EXEGEMA

IN

HUMILIMÆ SUBJECTI-
ONIS NEC NON GRATISSIMÆ
MENTIS SYMBOLUM

DEMISSE ET MORE PRISCO

LUBENS MERITOQVE
OFFERO

SPLENDIDISSIMO IPSIUS

NOMINI ÆTERNUM DEVOTUS

CLIENS ET ALUMNUS

THEODORICVS TREUNERUS.



Jesu move! Jesu promove!

DISPUTATIO

PRIMA,

De

Natura & Definitione

Causæ efficientis.

§. I.



Quam communi Philosophorum suffragio ardua valde & intricata sit questio, in qua non tam accurate decidenda, quam perspicue proponenda, propter insignem ejus in foro Theologico usum, imbecilles nostri, siquod est, ingenii vires, divino suffultas auxilio, periclitari mens animi est, nihil abs re nos facturos esse existimamus, si, priusquam paulo propius ad ipsam accedamus, terminos, quorum accurata semper prærequiritur notitia, singulatim consideraverimus, omnesque aut saltem præcipuas, huic individuo nexu junctas, pro re nata expenderimus controversias. Illis enim bene perspectis, expeditior erit propria gravissimi hujus argumenti pertractatio. In præsens itaque ea, quæ de causæ efficientis natura ac definitione notanda veniunt, quoad ejus fieri poterit, succincte conscribemus, alia reservaturi disputationibus, Deo volente, sequentibus.

II. Quid autem sit *causa efficiens* & quomodo definienda, in eo non parum desudarunt & adhuc dum desudant Metaphysici. Omnes omnium descriptiones afferre ac disquutere, nimis hic foret prolixum; adducemus proinde tantum potissimas, & postea, quid ipsimet sentiamus, modeste aperiemus, quandoquidem de causæ efficientis natura nobis, in posterum fausto & inoffenso pede progressuris,

A

omnino

II. Phys.
t. 29.
V. Met. (al.
IV.) cap. 2.

omnino constet oportet. Philosophus hoc causae genus declara-
turus, isthac prodit verba: ἢ ὅθεν ἢ ἀρχὴ τῆ μεταβολῆς ἢ πρώτη,
ἢ τῆ ἡρεμῆσεως, praeterea (causa dicitur) unde primum principium est
motus aut quietis. Quae descriptio, dici fere non potest, quam pugnan-
tes hinc inde subierit censuras. Complures eam plane rejiciunt, &
horum alius aliam sibi meliorem fabricat: nonnulli quidem appro-
bant, sed varie prius correctam; aliqui totam, ut assignata est, aut
certe parum immutatam, accipiunt, diversam tamen similiter foven-

Disp. Phys.
IX. s. 1.

tes hypothesin. Prorsus improbat istam Pet. Hurtadus de Mendoza,
multas ob rationes; palmaria est, quod causae creati non conveniat.
Hanc & reliquas ubi recensuit, Svarezium (qui, ut mox dicemus, Sta-
giriten defendere laborat) ita exponere definitionem ait, ut aliam
novam ipse condat; & postea subjungit: *Eam definitionem, ut incom-
modam rejicio: Aristotelem autem in ea tueri, nec necessarium est doctri-
nae; nec sine temporis dispendio potest. Commodius autem sic defines;
Causa efficiens est principium per se influens in aliud, sine mutatione
sui, ex praecisa ratione influxus:* quam definitionem non pauci
hactenus inculcarunt, & suo comprobarunt calculo; quamvis ali-

Prückn.
Comp.
Met. cap.
II. X. s. 1.

cubi sub calcem vox *Realis* adjecta legatur. Eadem via incedit Roderi-
cus de Arriaga*, qui, impugnata multum Aristotelis definitione, hanc
refert ex aliis: *Causa efficiens est, quae per se tribuit extrinsece esse
effectui:* cui, ut omnes causas efficientes, immanentes etiam, quas
vocat, comprehendat, ipse addit: *Ex praeciso conceptu efficientis.* Hur-
radi vero definitionem, jam adductam, taxat in eo, quod verba: *Ex
praecisa ratione influxus:* convenient etiam causae materiali, quae ex
praecisa ratione influxus non immutetur; & tandem concludit: *Non
ergo debet dici, ex praecisa ratione influxus, sed ex praecisa ratione cau-
sae efficientis, sicut à me dictum est.* Pertinet ad horum classem etiam

*Curs. Phil
Disp. Phys.
IX. s. 1.

Op. Met.
lib. I. cap.
XXII. n.
31. 32.

Scheiblerus, qui itidem allatam Philosophi descriptionem carpit, &
rectius generaliter definiri efficiens ait, quod sit *causa, à qua res est.*
Inter eos autem, qui hanc Aristotelis descriptionem non plane da-
mnant, sed ad satis generalem & commodum sensum revocare stu-

Disp. Met.
XVII. s. 1.

dent, facile primas tenet Franciscus Svarez, qui integram sectionem
isti declarandae & a difficultatibus liberandae impendit, & denique
ita formari posse concedit: *Causa efficiens est principium per se, à
quo*



13.
quo primo sit actio; vel, est principium per se, a quo effectus profuit seu pendet per actionem: quam definitionem multi quoque auctores suis passim inferere monumentis. Nulla ex parte Aristotelem culpat, sed definitionem, uti tradita est, recipere inter alios non dubitat Pl. Rev. Dn. D. Christianus Dreierus, cujus verba, huc spectantia, adscribere haud piget: *Attendendum est, inquit, quod Aristoteli nihil aliud sit causa efficiens, quam principium primum motus ac transmutationis, ut semper eam describit, quod supra disp. 6. §. 12. explicatum. Tollatur ergo motus, & tollitur causa efficiens, quippe quae est principium motus. Neque novit Philosophus ullas causas efficientes per emanationem, quales successu temporis finxerunt, sed eas ad formam vel materiam aliquem modum vult relatas. — — — Qua de causa & in Physicis & in Metaphysicis, cum in ultimam causam efficientem Philosophus resolutionem facit, eam ultimum movens esse docet, ut constat ex precedente disp. nec ullam aliam causam efficientem in universa entium latitudine invenire potuit.*

Disp. in
Prim. Phil.
XVII. §. 13.

III. At enimvero plerique hic omnes dissentiunt in eo, quod, licet similiter in ipsa descriptione, naturali de causa ad Stagiritæ, quam esse volunt, mentem intellecta, nihil magnopere reprehendant vel etiam adjiciant, intrepide tamen agnoscunt causam efficientem sine motu, ac proinde aliam & latiore definitionem in Schola Metaphysica adferendam esse censent, eorumque iterum hic istam, iste hanc laudat; quin aliqui non audent certi quippiam determinare, sed, utrum formari queat simplex & accurata, in qua communis omnium causarum efficientium, moralium quoque, causalitas, ut loquuntur, sine conjunctione exprimat, propter insignem earum diversitatem, valde dubitant, & exinde statuunt; aut proponendam esse aliquam conjunctam, & postmodum diversa inter se inferiora seorsim enumeranda & explicanda; aut, si simplex proferenda sit, nec tamen indagari possit una omni cause efficienti, morali etiam, communis causalitas, retinendam esse ejusmodi definitionem, quae actionis vel influxus realis mentionem faciat; hac sub cautela, ut doceatur, causam physicam & moralem non esse univocas cause efficientis species, sed moralem per analogiam tantum sic dici, & inde causam efficientem hoc modo definitam fuisse respectu primariae suae speciei, sicut usu veniat, ubi definitur analogum, quod absolute sumtum stat pro famosiori significato. Tot hac ac

tanta in presenti negotio se offerunt sententiarum divortia, ut propterea viam satis tutam invenire non parum videatur difficile. Quæcunqve autem seligatur, certum est & omnino fatendum, optimam fore illam causæ efficientis definitionem, in qua differentia peteretur a propria ipsius causalitate, siquidem communi metaphysicorum consensu in causalitate formalis cujusque causæ ratio sita est, ac per eam aliquid actu secundo causa constituitur. Unde quisvis descriptionem Aristotelicam de causa efficiente, præcise spectata, exponere non vult, sed cum recentioribus generaliore & simul pro re nata exactam definitionem investigare annititur, illum ante omnia caute dispicere oportet, quænam sit adæqvata causæ efficientis causalitas; a qua, probe perspecta, nisi differentiam sumat, certe nunquam construct definitionem sat exquisitam. Atque in hoc va-

d. l. pulat *Pet. Hurt. de Mendoza*, dum definitionis suæ, sibi Aristotelica commodioris, differentiam ponit in *nuda mutationis ex præcisa ratione influxus negatione*, quæ, ut cum causa efficiente semper est conjuncta, pro positiva tamen ejus causalitate haberi nequit, sicut est evidentissimum, & agnoscit quoque ipsius socienus, *Rod. de Arriaga*, quando ad objectionem, quæ inferebat, definitionem esse illegitimam propterea, quod non detur per positivum, sed per negativum, responsionis loco hæc reponit verba: *Fateor, definitionem ejusmodi non esse adeo perfectam, ac si daretur per positivum: sed quia nobis non innotescit positiva differentia inter causam efficientem & materialem, ideo ea differentia præcise explicatur per negationem &c.* At vero (ut hoc

*Rod. de Arriaga Disp. Phys. IX. l. 3. Pet. Hurt. de Mend. d. l. (a) Instit. Phys. nuper edit. l. 1. p. 120. & seqq. (b) Disput. Phys. de causarum generibus s. 17. 18. 19. 31. obiter moneamus) innotuit ipsis positiva causæ efficientis causalitas, quam esse volunt *actionem; quidni ergo innotescere etiam potuisset positiva causæ efficientis differentia? Nos, ut recitandi finem faciamus, descriptionem Aristotelicam suo nunc relinquimus loco, & solidam ejus explicationem qui desiderat, remittimus ad plurimum venerandos Dnn. Præceptores, Amplissimum *Johannem Zeisoldum*(a), & Excellentissimum *Casparum Posnerum*(b), naturalis Philosophiæ PP. PP. longe famigeratissimos. De cæteris quoque judiciis ac definitionibus, ideo hæcenus adductis, ut cuiusvis latissimus diverticulorum patesceret campus, brevitatis ac modestiæ causa non multum aut rigide litigabimus, sed quemque suo patiemur abundare sensu; nostram interim sententiam sequentibus includemus adser-tionibus: IV. Ad-

IV. Adfertio prima: **Causa quædam vere efficiens non est principium motus.** Notissima hæc est Scholasticorum adfertio, & probatur præcipue exemplo causæ creantis, quæ, ubi ex nihilo aliquid producit, est causa vere efficiens omni sine motu. Etenim, quum *motus*, teste *Philosopho*, sit *actus entis in potentia, quatenus in potentia*, principio motus semper subternitur aliquod subiectum mobile, quod creatio, quia est productio rei ex nihilo, penitus excludit, & ita causa creans respectu rerum, quæ ab ipsa creantur, nullatenus est motus principium. Quod vero eadem sit causa vere efficiens, non æque sibi persuadent omnes; & Aristotelis quidem auctoritatem pro negativa urget supra laudatus Dn. D. Dreierus in verbis ibidem citatis, quibus statim plura eandem in rem subnectit, iisque contendit, *Deum Aristoteli non esse mundi causam efficientem, sed formalem, quem, ceu primam formam, cetera entia consequantur, sicut interdum formam quædam consequi solent.* Verum quicquid sit de mente *Stagirite*, quæ de auctores male conveniunt, tutissima citra dubium, & Christianus qui est, Philosopho dignissima hic est altera ista in foro tam Theologico, quam Philosophico, receptissima opinio; Deum omnium atque adeo etiam earum rerum, quæ ex nihilo producuntur, esse causam efficientem; quam quidē, ut & controversiam; num & quomodo ex lumine naturæ cognosci ac probari queat creatio; pluribus nunc persequeremur, nisi verendum esset, ne, nobis in præsentia positos, transiliremus cancellos. Forsan commodior alibi de hisce talibus ex instituto disputandi suppeditabitur occasio.

V. Adfertio secunda: **Causa, quam vocant, moralis est vera, eaque efficiens, causa.** Præmittimus hanc quoque adfertionem propterea, quod adæquatam rei cuiusque, atque sic efficientis etiam causæ, investigaturo definitionem diligenter omnino attendendum est ad istius, in quas dispesci solet, species, utpote quibus omnibus, si quidem propriæ sint ac veræ, competere oportet definitionem, quæ inquiritur. Unde, quoniam nos jam in eo sumus, ut de causæ efficientis natura mentem nostram pro ingenii modulo perspicue exponamus, dubium autem esse poterat, num causa moralis efficientibus vulgo, tanquam vera causa, annumeretur, ideo utique ferenda erat aliquatenus hæc de re sententia, cum primis, quia magna

III. Phys.
t. 6.

s. II.

causa

causarum moralium varietas, quae hodie multis inventu difficili admodum appareat, sat exacta causae efficientis definitio. Potest autem unica haec assertio in duas, quas in se continet, non incommode resolvi: altera est; *causam moralem esse veram causam*; altera; *eandem esse efficientem seu ad efficientium pertinere classem*. Prior, quamvis ex posteriori sua sponte sequatur, distincte tamen si probari debeat, probanda est ex eo, quod causae morali conveniat vera verae causae definitio. Ubi (1.) *perferenda causa moralis natura*; (2.) *adferenda genuina verae causae definitio*, eaque (3.) *causa moralis rite applicanda*. Posterior vero minimum hinc deducenda est, quod inter quatuor causarum genera ad nullum aliud apte referri possit causa moralis, nisi efficientis. Ubi ostendenda *causa moralis & reliquarum praeter efficientem causarum pugna*, ex qua ultro postea dimanabit ejusdem sub causa efficiente comprehensio, posito quidem, *causam moralem esse veram causam*, nec plura quatuor vulgaris causarum genera. Sed quia singula haec prolixam merentur disquisitionem, quam hic instituire non est integrum, ideo nunc illa breviter tantum perstringemus. Et circa priorem quidem assertionis partem (*causam moralem esse veram causam*) non erimus operosi in perquirendo accuratissimas causae verae & causae moralis definitiones, de quibus aequales, si non majores, quam de causae efficientis definitione subinde exsurgunt dubitationes, sed sufficiat ad praesens utramque aliquo modo descripsisse, & illius descriptionem, vel saltem descriptionis quoddam instar, huic accommodasse. Causa moralis quid sit, etsi non omnes iisdem declarant verbis, huc tamen fere mens redit omnium; *causam moralem esse, quae ita se gerit, ut ipsi sine reali influxu effectus merito imputetur*; qualis dicitur, qui *consulit, qui precipit, qui ad aliquid patrandum cogit, qui hortatur, qui applicat agens ad patiens &c.* Pro vera autem causa id ex unanimi Metaphysicorum sententia habendum est, *a quo effectus per aliquid, veram causalitatis rationem habens, dependet, seu quod ad effectum praestat causalitatem*. At qui causam moralem ad id, cujus causa moralis appellatur, praestare causalitatem, patet ex inductione omnium specierum, quarum longam nunc subjiceremus seriem, & in singulis veram ostenderemus causalitatem, nisi pagellarum, argumento, quod nunc tractamus, destinatarum, obstaret angustia, & opera haec dudum perfunctus esset B. Slevogtius, Praeceptor multum desiderabilis.

Disp. de
causa mo-
rali,

7.
 lis. Unico tamen, eoqve satis trito, rem illustrabimus exemplo: v. gr. qui ignem subjicit tecto, ut comburantur ædes, quamvis physice ipsemet non comburat, veram tamen ad combustionem exserit causalitatem, quæ est ejus intentio, conjuncta cum externa quadam actione, ad effectum hunc aliquid conferente, ignis scilicet ad tectum applicatione: par esto judicium de cæteris. Quapropter magni commatis sequuti viros, præcipue B. Stevogtium, nulli dubitamus, l. c. §. 28. quin causa moralis sit vera causa, quicquid etiam senserint alii. De adæqvata vero ejusdem causalitate prolixè nunc disceptare, nostra esse non est; redibit de illa sermo inferius, ubi, quid nobis videatur, paucis significare haut pigrabimur. *Posterius* adsertionis membrum (videlicet *quod causa moralis sit causa efficiens*) multis in præsens demonstrare non est opus, quandoquidem in Metaphysicorum scriptis ac libellis passim solam efficientem dividi legimus in physicam & moralem, atqve sic moralem sub efficiente comprehendi; neqve nobis constat, quempiam hæctenus ad aliud causæ genus ex quatuor vulgatis eam retulisse, aut sine absurditate referre potuisse. Esse enim causam moralem respectu sui effectus semper *externam*, ac proinde nec *materialem* nec *formalem*, sole meridiano est clarius; a *finali* vero, cum qua non exiguam habere creditur cognationem, nisi alias, in eo certe differt, *quod*, sicut alibi docetur, *finis causam efficientem, quo ipsius gratia operetur, movet ut bonum quoddam apprehensum, atq; adeo non agit, nisi secundum translationem, siquidem est ἀρχὴ ἔ τῆς πράξεως, ἀλλὰ ἔ λογισμῶς*, quemadmodum tradit Aristoteles. Hæc vero omnia a causa morali, certum sibi ipsi quoq; præstitente finem, longissime abesse, cuius, causalitatem ejus probe consideranti, in proclivi est perspicere. Restat ergo, ut inter efficientes numeremus causam moralem; vera enim est causa, nec plura, quam quatuor, causarum genera admittit Aristoteles, † aliiqve cum eo auctores, de quorum rationibus jam disputandi non est locus. Quin ipse *Philosophus* eum, qui consuluit, & medicum, indubitata causæ illius, quam moralè moderni appellant, exempla, inter causas efficientes collocat, dum descriptioni supra allatæ subjungit: *οἷον ὁ βλάσας αἰνῶς, καὶ ὁ πατὴρ ἔ τέκνα, καὶ ὅλως τὸ ποιῆν ἔ ποιημένα, καὶ τὸ μεταβάλλον ἔ μεταβαλλομένα. — — τὸ ἰατρεῖα, καὶ ὁ ἰατρεὺς, καὶ ὁ βλάσας*.

I. Degener.
 & corrupt.
 t. 55.
 II. Phys. t.
 89.
 Conf. Coll.
 Conimb. in
 II. Phys. c.
 7. quaest. 21.
 art. 1. & 3. p.
 m. 388. & 391.
 † II. Phys. t.
 68. 69.
 t. 31. d. 11.
 β8-

8.
βλέψασα, καὶ ὅλωσ' τὸ ποιῆν, πάντα ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβα-
λῆς, ἢ ἑτέρας, ἢ κινήσεως. Plura nunc non addimus, ad ea, quæ no-
bis præcipue explananda sumus, properantes.

VI. Adsertio tertia: Adæqvata causæ efficientis cau-
salitas videtur esse vera actio. Decantatissima in Meta-
physicorum Physicorumve choro vox est; *causalitatem causæ efficien-
tis esse actionem*; quam licet adversus secus docentes diu ac mascule
propugnarent complures; hodie tamen valde incerta reddi potest
ex eo, quod, si quis, causas morales pro veris venditans efficientibus,
ad notabilem earum varietatem paulo acriori mentis indagine at-
tendat, animadvertere se, sibi persuadere, non unum causæ vere mo-
ralis, atque sic vere efficientis, exemplum, in quo nulla plane apparet
actio. Neque vero mirandum est, dubii hujus ab iis, qui de causæ ef-
ficientis causalitate antehac disputarunt, non adeo magnam habi-
tam fuisse rationem, siquidem de causa morali nihil aut parum certe
cogitarunt, ac proinde in definienda causa efficiente ad ipsam non
multum respexerunt, maxime, qui ex verarum causarum censu mo-
rales, si non omnes, quasdam tamen voluerunt exclusas. Cæte-
rum quoniam ex illis, qui non male omnem causam vere moralem
pro vera reputant efficiente, nemo non ambabus est largiturus ma-
nibus, receptam hanc de ejus causalitate sententiam, si contra istum,
quo hodie impetitur, defendi queat arietem, esse longe optimam,
adeoque omnibus aliis præferendam; & vero videmur nobis videre,
quomodo confici illud negotii possit, idcirco non magnopere nos
reprehensum iri speramus, si, quæ per virium imbecillitatem poterim
perspicuitate, nunc animi sensa hac de re liberius paulo & cla-
rius exposuerimus, eaque subactis Laudatissimorum Præceptorum
judicio, uti par est, sub miserimus. Quod ut ne illotis aggrediamur
pedibus, pro uberiori adsertionis explicatione præmitteremus quæ-
dam de causalitate generatim sumpta, nec non de vera actione; postea
unicum ad adsertionis confirmationem producemus argumentum,
& tandem, his omnibus bene cognitis, ex prædicto isto, qui in non-
nullis causæ moralis conspicitur exemplis, labyrintho nos expedire
conabimur; salvo tamen (quod etiam atque etiam monemus &
ingenue profiteamur) cujusque judicio.

VII.

VII. Per causalitatem, ut supra notavimus, communiter nihil aliud intelligitur, quam ratio formalis causa, sive id, quo aliquid formaliter causa constituitur, sicut per albedinem formaliter constituitur album, quatenus album est. Quod ut eo rectius percipiatur, sciendum est, causam considerari posse trifariam: (1) in esse absoluto, quod habet etiam tunc, quando non est causa; (2.) respectu potentiae, qua ad hoc, ut sit vel fiat causa, pollet; (3) quatenus causa est actu. Jam quando causalitas dicitur formalis causae ratio, accipiendum illud est de causa tertio modo spectata, quatenus scilicet actu est causa. Tunc enim aliquid vere & formaliter causa dici meretur, quando ipso actu causa est; quae vero potentia tantum est, ideo revera non est, quia non est actu, quemadmodum de iis, quae potentia sunt, loquitur Aristoteles. Atque in hoc auctores passim distinguunt causalitatem a ratione causandi, quam esse volunt id, quo aliquid aptum est, ut sit vel fiat causa; quamvis duo haec nomina non raro etiam promiscue usurpentur. Porro si queras, quanam sit adaequata causae generatim sumtae ratio formalis seu causalitas, quove appellanda nomine; omnes fere uno cum Svarzio ore respondent, esse influxum, qui cuiusque causarum generi conveniat, sitque aliquid medium inter entitatem causae absolutam ejusque potentiam causandi, & inter effectum ac relationem ad ipsum. Quae responsio ne alicui duriuscula appareat ex eo, quod soli causae efficienti competat influxus, monent (num adeo bene, discite ab accuratissimo Dn. Zeifoldo) verbum influere sumendum esse non ita stricte, sed late, prout equipolleat phrasi Dare vel communicare esse alteri; & sic omnia quatuor causarum genera suo modo influere affirmant. Haec de causalitate sententia, ut diu stetit, & a Viris doctissimis hinc inde in scholis proposita fuit ac stabilita; hodie tamen similiter haut ita leviter impugnatur ab Auctoribus gravissimis, qui, non omni causae tribui posse influxum, ex hoc uno evincere satagunt, quod causa moralis sit vera causa sine ullo in effectum influxu. Unde quoque vulgatissimam causae a Svarzio adsignatam definitionem: *Causa est principium per se influens esse in aliud*: rejiciunt, & generaliore itidem desiderant. Digna, quae producantur sunt verba Admodum Rev. Dn. D. Petri Musaei, qui de hac definitione ita disputat: *Notat vero Svarz loc. cit. verbum influit non accipiendum esse stricte, ut attribui specialiter solet causae efficienti; sed generalius, prout equivaleat*

§. III.

IX. Met.
cap. 3. sub
finem.Disp. Met.
XII. §. 2.Inst. Phys.
lib. 1. p. 108.
seq.B. Stat.
Tab. Met.
p. 9. 15. 53.

l. c.

Disp. Met.
nup. edit.
cap. II. X.
§. 3. & 4.

verbo dandi vel communicandi, ita ut influere esse in aliud idem sit, quod esse alii dare vel communicare. Sed enim, pergit, si vel maxime verbum influendi dicto modo accipiatur; vix tamen omni causa convenit. Sane & ille, qui aliquid non impedit, cum possit & debeat, causa ejus est: nec tamen illi ullum esse communicat. Ut ergo compleatur definitio, adjungendum aliquid est, quoniam quidnam illud sit, perspectu difficile est. An dicendum? Causa est principium, quod influit esse in aliud, aut cui imputatur aliud, etiamsi in illud non influat. Et postquam inter alias causæ efficientis definitiones hanc quoque adduxit: *causa efficiens est causa externa, realiter influens esse in aliud*: de ea & consimilibus tale fert judicium: *Verum enimvero, definitiones jam adductæ, ut & aliæ, quas omisimus, vel eo nomine angustiores sunt, quod causam efficientem unice per actum influendi declarant, quum tamen quedam dicantur cause efficientes respectu effectuum, in quos non influunt: sicut causa efficiens homicidii est, qui id svasu saltem, vel jussu patrari fecit; aut qui non impedit, quum potuerit & debuerit.* Hæc Vir venerandus, ex quibus in propatulo est, Svarezius, & omnes, qui ipsi pollicem premunt, in conotari, quod in influxu formalem causæ rationem ponant, quum tamen inveniantur veræ causæ, nempe morales, ullo sine influxu.

IX. Verum circa hanc quoque adferriorem, iusta animi expensam lance, sequentia (quæ operæ quidem est, eruditorum censuræ submittere; nostra tamen non faciemus) moverit quispiam dubia, & adversus eam ita processerit: (1.) Quod attinet Svarezius, is una cum aliis causam moralem pro vera causa vix agnoscat, sicuti neminem, verba ejus inspicientem, facile præterit. Quæcumque vero mens sit Svarezii ac sequacium, quamvis, si absolute negant, causam moralem esse veram causam, non parum hallucinentur; certum tamen est, sine vero in effectum influxu veram eos neutiqvam admittere causam. Unde non dicendum solum, sed probandum etiam erat ab adversariis, causam moralem esse veram causam, & quidem efficientem, sine ullo tamen in effectum influxu, per, nescio, quid, aliud. Enimvero (2.) valde durum est dicere; *causam moralem esse veram sui effectus causam, & tamen nullo modo illi esse dare.* Etenim, si causa moralis veram præstat in effectum causalitatem (quod fatentur ipsimet Svarezio hic adversantes) & ita per eam facit, ut id, cujus causa moralis dicitur, fiat, adeoque tandem, nisi quid obstat, esse suam

Disp.

Met.

XVII. s.

L. n. 4. s.

2. n. 6.

suum physice consequatur, quid impedit, quo minus concedatur, 29
 moralem quoque causam suo modo effectui, qui ipsi merito impu- 29
 tatur, dare esse, atque sic in illum influere? Sane nulla alia dari posse 29
 videtur ratio, quamobrem hoc vera illius causa sit & vocetur, nisi, 29
 quia, ut sit, per veram causalitatem facit. At quid aliud est, per ve- 29
 ram causalitatem facere, ut aliquid sit, quam alicui dare esse? Aut 29
 igitur deneganda erit causae morali vera in effectum causalitas; 29
 quod est contra ipsosmet adversae partis patronos, & B. quoque Sle- 29
 vogtium, qui causae morali veram in effectum causalitatem nullibi 29
 non tribuit; aut ostendendum, ad quid aliud a sui effectus esse, 29
 causalitatem praestet, & quare, nisi ad effectus esse eam praestet, ve- 29
 ra effectus causa dici mereatur? quod si monstrari nequeat, concedi 29
 tandem oportet, moralem etiam causam effectui suo esse dare, atque 29
 adeo in istum aliquo modo influere. (3.) Vix ac ne vix quidem soli- 29
 dam aliquis adsequi poterit rationem, cur majori jure causae finali de- 29
 beatur in effectum influxus, quam morali. Tribuitur causae finali 29
 verus in effectum influxus tantum ex eo, quod motione metaphori- 29
 ca causam efficientem ad agendum movet. Ita enim scribit *Svarez*: 29
Causa etiam finalis eo modo, quo movet, influit in esse. Similiter de cau- 29
 sae finalis influxu loquuntur alii. *Jacobus Martini*, quatuor causa- 29
 rum influxum declaraturus, ait: *Influit materia & forma ad esse cau-* 29
sati, ut partes essentiales: influit efficiens agendo: movet denique, finis motio- 29
ne quaedam metaphorica. Eundem in modum *Rob. Baronius* dicit: *In-* 29
fluere esse hic accipiendum est pro eo, quod est quovis modo tribuere esse 29
alteri; & sic competit omnibus causae speciebus, ut patet; materia enim & 29
forma, etsi non efficiant rei esse, illud tamen constituunt: Finis vero sua bo- 29
nitate excitat & movet efficientem ad tribuendum esse effecto. Sed si in 29
 motione hac metaphorica consistere potest verus in effectum influ- 29
 xus, cur non aequi, aut forsan magis, in motione morali, vel quocunq; 29
 nomine causae morales causalitas indigitetur? Eadem certe ratione, 29
 ac facilitate dicere licebit; *causam moralem eo modo, quo movet, in esse* 29
effectus influere, verbis Svarezi; vel, causam moralem sua causalitate mo- 29
vere physicam ad tribuendum esse effecto, verbis Baronii. Et quemad- 29
 modum causa morales effectum immediate in esse physico non con- 29
 stituit, imo interdum non est, quando effectus a causa physica pro- 29
 ducitur: ita & finalis, ut nemini causalitatem ejus pensculanti, est 29

„ obscurum. Atqui hoc unum prohibere creditur, ne causæ morali
 „ in effectum adscribatur influxus, quia videlicet per suam entitatem,
 „ eum proxime non attingit, sed per causam physicam, quam movet.
 „ Aut igitur eandem ob rationem denegandus erit influxus causæ fi-
 „ nali, aut quo jure tribuendus finali, eo & morali, quum pari hic am-
 „ bulent passu, ne dicam, quod moralis finalem multis alias relinquat
 „ parasangis. Sed nemo forsan hodiernum invenitur, qui causæ fi-
 „ nali influxum, dicto modo explicatum, plane velit ademtum, aut pa-
 „ ce aliorum adimere possit, quacunqve etiam loquutione ipsi sit ad-
 „ scribendus. Cur ergo causæ morali influxum adeo invident omnem,
 „ & propter hoc unum in causæ doctrina tantam sibi subnasci patiun-
 „ tur difficultatem? (4.) Ecquid admissa adsertione hac; *causam mora-*
 „ *lem non dare effectui ullum esse*; dicent illi, Viri omnino Acutissimi,
 „ qui Patrem proli volunt esse causam moralem? Itane pater proli
 „ non dat esse? quid aliud? sane non apparet. Aut igitur celeberrimi
 „ illi auctores adserere tenentur; Patrem proli nullo plane modo dare
 „ esse; aut, nisi hoc, necesse est, ut fateantur & propugnent, causam mo-
 „ ralem etiam dare effectui esse, adeoque in eum quadantenus influere.
 „ Sed, Patrem proli dare esse, quis dubitabit? Certe ipsemet Philosopho-
 „ rum omnium Princeps, Aristoteles, causæ efficientis descriptioni,
 „ à se traditæ, exempli loco expresse subjicit & in prima quidem acie
 „ constituit eum, qui consuluit, & *Patrem proli*, ut supra visum est.
 „ Aristotelem vero id pro vera alicujus causa habuisse, quod nullate-
 „ nus ipsi dat esse, nemo facile credet. Relinquitur ergo, moralem
 „ quoque causam suo modo effectui dare esse, ac proinde in eum
 „ aliqua ratione influere, siquidem influere, ex mente *Svarezii* & a-
 „ liorum omnium, qui ipsi suffragantur, nihil est aliud, quam dare esse.
 „ (5.) Sunt auctores non infimæ cavæ, qui verbis minime obscuris
 „ causæ morali influxum quendam interdum adscripsisse leguntur.
 „ Ita *B. Slevogtius*, ad hoc, inquit, ut aliquid alicui dicatur voluntarium,
 „ non sufficit, ut voluntas ejus expresse in ipsum feratur, sed requiritur etiam,
 „ ut voluntas se habeat ad ipsum, ut causa morali ratione influens. — — —
 „ Ut aliquid volitum alicui dicatur, satis est, si ipsum expresse velit: at ut
 „ dicatur voluntarium, requiritur insuper, ut tanquam causa moraliter in-
 „ ipsum influat. Idem hujusmodi locutionibus passim utitur, ex qui-
 „ bus facile est influxum causæ morales deducere. In §. 73. dicit; *id*
 „ *esse*

Disp. de
 causa mor.
 §. 40.

esse causam moralem alicujus effectus, quod eum motione morali producit. Sed quomodo, quæso, producet, si non dat esse, sive non influit? in § 85. hæc implicite continetur propositio: *Quicquid veram in effectum habet causalitatem, id, nisi immediate, saltim mediate effectum per illam attingit.* Atqui causa moralis veram in effectum habet causalitatem. E. nisi immediate, saltim mediate effectum per illam attingit. E. nisi immediate, saltim mediate in effectum influit; effectum enim per veram causalitatem attingere, quid est aliud, quam in eum influere? Conferantur Petr. Hurt. de Mendoza (a.) Scheiblerus. (b.) Keslerus (c.) Stierius, (d.) Prücknerus (e.) alii. Nec est, quod quispiam excipiat: (a) *Sic falsam fore definitionem cause moralis tradi alias solitam, qua nullum ipsi concedit influxum: (b) exinde rejiciendam etiam esse B. Stablii aliorumque sententiam, qui causam moralem dicunt esse causam per accidens ex parte effectus ratione influxus, h. e. non influentem: (c.) causam physicam dare effectui esse, & consequenter id non dari à morali.* Quod enim primam concernit replicam, ad eam nullo negotio responderi potest; in definitione vulgata non denegari cause morali influxum simpliciter & qualemcumque omnem, sed tantum realem, qui idem ibi est, quod influxus physicus, atque à causa morali omnino exsulat; exinde vero male colligi, quod causa moralis nullo plane modo in effectum influat. Et sane definitioni isti, ubicunque etiam proponatur, semper fere inserta legitur vox *Realiter*, aut certe inferenda est, quandoquidem in eo causam physicam a morali differre ajunt, quod illa influat realiter, hæc non item; & B. quoque Slevogtius singulari studio istam particulam semper adjicit, nec semel, voces *Realiter, Physice, influxus realis, influxus Physicus*, hoc in negotio promiscue adhibet & æquivalere fateretur; cui album addit calculum Excell. Dn. Zeisoldus, dum dilerte ait: *In hoc est differentia inter utramque, illam causam, quod Physica physice & realiter (hæc duo vocabula h. l. idem denotant) influit in effectum suum, moralis vero ejusmodi influxum non admittit.* Tralatitia igitur cause moralis descriptio poterit salvari, concessio etiam vero, licet non physico, eidem influxu. Huic responso multum lucis fœnerantur omnes illi, qui, utut largiuntur, finalem quoque causam realiter non influere, sed solum intentionaliter, pro vera tamen causa venditare & verum, imo realem influxum ipsi adscribere non verentur. Hos enim, nisi apertissima contradictionis laqueo irretiri velint, omnino

» oportet in alia atque alia significatione accipere particulam *influxus*
 » *realis*, ita nempe, ut *realis influxus* jam nihil sit aliud, quam *influxus Phy-*
 » *sicus*, qui *intentionali* aut *moralis* opponitur; jam idem, quod *influxus ve-*
 » *rus*, sive non plane nullus, qui latius patet influxu physico, diciturque
 » sic omnis vera veræ causæ causalitas. In posteriori acceptione causa
 » finalis utique vere ac realiter in effectum influit, siquidem veram in
 » eum habet causalitatem; in priori autem illam realiter non influere,
 » verissimum est. Videatur *Svarez*, qui expresse scribit; *solam causam*
 » *efficientem realiter influere*; quo tamen non obstante, adserit & prolixè
 » probat, *finem esse veram, propriam ac realem causam*; quin negat, *finem*
 » *non influere realiter*. Coniunge *B. Stahlum*, (a) nec non *Dn. D. Pet. Mu-*
 » *seum*, (b) qui ipse etiam constat, *finem, licet causa externa sit, non ta-*
 » *men ita realiter influere, ut efficiens*. Si igitur causa finalis, dato, quod
 » realiter seu physice non influat, nihilominus est vera & ea causa, cui
 » verus convenit in effectum influxus, certe pari, si non majori, æquita-
 » te, *moralis* etiam causæ verus tribui poterit influxus, licet realiter seu
 » physice ipsam non influere, ultro concedant omnes. Unde eviden-
 » tissimum est, vulgarem causæ moralis definitionem verum ipsius in-
 » fluxum non tollere, neque hunc illam, sed amicissime inter se conspi-
 » rare. Et, si sola causa physica influit, nullo plane modo *moralis*,
 » quid opus est in definitionibus ita notanter adicere vocem *Realiter*,
 » eaque influxum distinguere ac restringere, quod fecisse auctores
 » constat, præsertim *B. Slevogrium*? Idem hoc reponi potest ad *exco-*
 » *ptionem secundam*: nimirum causa moralis in genere quidem *naturæ*
 » non est causa per se ac vera, nec proinde etiã physice in effectum influit;
 » est tamẽ causa per se ac vera in genere *morũ*, adeoque moraliter saltem,
 » seu, ut alii loqui malunt, imputative, influit, sicut a nonnullis causa
 » finalis intentionaliter influere dicitur. Adsertum vero eorum, qui
 » in doctrina de causis per accidens statuunt, causam moralem in ge-
 » nere naturæ esse causam per accidens, & effectum quidem intende-
 » re, sed in eum non influere, similiter de physico intelligendum & ex-
 » plicandum erit influxu, non de influxu quocunqve. Quæ explica-
 » tio menti illorum non poterit magnopere repugnare, siquidem rã
 » physice causam per accidens esse volunt; unde etiam non nisi phy-
 » sice, seu non nisi physicus, ei denegandus erit influxus. In *tertia* tan-
 dem

Disp. Met.
 XVII. s. 1.
 n. 3.
 Disp. XXIII
 s. 1. num. 7.
 & II.
 (a) Tab.
 Met. p. 9. 10
 13. 64.
 (b) Disp.
 Met. c. 9.
 §. 6.

B. Stahl.
 Tab. Met.
 p. 15. 69.

dem *exceptione* consequentia negatur ex eo, quod sæpe contingit, ut una plures ejusdem generis causæ ad eundem concurrant effectum, quarum qualibet ipsi in suo ordine dat esse (quod fuisse probatur & exemplis illustratur passim ab auctoribus); neque fieri posse videtur, ut hoc verus veræ illius causæ effectus sit sine ulla sui esse dependentia. Quamvis igitur causa physice det esse effectui, nihil tamen impedit, quo minus moralè quoque modo sibi convenienti effectui esse dare, atque adeo in eum influere statuamus, quemadmodum alias finalem.

IX. Hunc vel similem in modum pro eo, quod communis & adæquata formalis causæ ratio seu causalitas non adeo absurde dicatur influxus, more solito explicatus, quodque moralis etiam causa suum in effectum ita influat, pugnare quis posset. Cæterum ut ita disputanti nunc subscribamus, aut litem hanc componamus, nulla nos cogit necessitas, nec patitur instituti nostri ratio. Dirimendam eam linquimus Doctioribus, contenti in præsens hoc, quod diffiteretur nemo; causalitatis nomine nihil venire aliud, quam *formalem causam rationem, seu id, quo aliquid actu & formaliter causa constituitur*; quacunque tandem vocula aut loquendi formula exprimitur. Sequitur jam adsertionis, in cuius explicatione versamur, alter quoque terminus, *veram nempe actionem*, de qua pauca notabimus. *Actionis* præcise spectatæ natura in quoniam consistat, varie etiam inter se controvertunt Scholastici, dum alii ipsam formaliter esse volunt agentis ad patientem relationem; alii, in alterum prolabentes extremum, aliquid absolutum esse contendunt, nihilque aliud, quam rem factam, ut extrinsece rem agentem denominat; iterum alii, mediam ingredientem semitam, utrumque complectuntur, & eandem aliquid absolutum cum quodam ad aliud respectu esse, defendunt; quarum sententiarum patronos & argumenta, nec non cætera, de actionis natura disceptari solita, qui pernoscere discupit, evolvere potest *Svarezi* & aliorum isthac de re scripta. Nos, quum hæc talia multis nunc persequi non detur, (1) per *veram actionem* in adsertione nostra nihil aliud intelligimus, quam *actum, qui & quatenus a potentia activa immediate dimanat*. In hoc enim distinguitur actio proprie dicta a metaphorica, quod illa proficiscitur a potentia activa, hæc vero dependet solum ab exhibita finis bonitate, per quam efficiens ad ipsius gratia agendum allicitur; sicuti fuisse declarant Metaphysici, ubi

Svarezi.
Disp. Met.
XXVI. f. 30
& seqq.
Mendoz.
Disp. Phys.
IIIX. f. 10.
&c.
Slev. Dip.
de caus.
mer. S. 16.
seqq.

Disp. Met.
XLIX.

de

de causæ finalis causalitate differunt. Sumimus autem hic potentiam activam, adeoque etiam actionem, in significato scholastico ac præciso, ita, ut illa creatricem Dei potētiam, hæc vero creationem quoque suo includat ambitu. (2) *immanentem* etiam *actionem* pro vera habemus actione, eamque non excludi posse adserimus, quando causalitas efficientis statuitur esse vera actio. Neque enim illi, quibus actio est causæ efficientis causalitas, stricte actionem accipiunt pro effectione, ut speculationi & praxi opponitur, sed late pro *cujuslibet potentie activæ exercitio*, ac proinde admittunt causam efficientem immanente actione operantem. Qua de adsertione dubitantem ablegamus ad *Pet. Hurr. de Mendoza*, (a) *Rod. de Arriaga*, (b) *Svaregium*, (c) *Scheiblerum*, (d) *Hornejum*, (e) alios, quorum præsto sunt testimonia.

(a) Disp. phys. IX. s. 1
 (b) Disp. Phys. IX. s. 1.
 (c) Disp. Met. XLIX. s. 1 & 2. XIX. s. 7. n. 45. & seqq.
 (d) Op. Met. lic. II. cap. X. n. 9. 10 27. seqq. cap. XIX. n. 55.
 (e.) Instit. Logg. lib. II. q. 28. n. 5, & 17.

X. Luce hac thesi nostræ adpersa, eandem sequenti nunc munimus parazonio: *Quocumque posito, etsi nihil aliud ponatur, aliquid est actu causa efficiens, & quocumque non posito, etsi quodlibet aliud ponatur, non est, illud est adæquata causa efficiens causalitas. Atqui vera actione posita, etsi nihil aliud ponatur, aliquid est actu causa efficiens, & vera actione non posita, etsi quodlibet aliud ponatur, non est. E. vera actio est adæquata cause efficiens causalitas.* Major solem, quod ajunt, in manibus gestat, ac proinde proluxa diductione non eget. Minor colligitur ex sequenti ratiocinio: *Quocumque posito, etsi nihil aliud ponatur, aliquid est actu verum agens, & quocumque non posito, etsi quodlibet aliud ponatur, non est, eo posito, etsi nihil aliud ponatur, aliquid est actu causa efficiens, & eo non posito, etsi quodlibet aliud ponatur, non est. Atqui vera actione posita, etsi nihil aliud ponatur, aliquid est actu verum agens, & vera actione non posita, etsi quodlibet aliud ponatur, non est. E. vera actione posita, etsi nihil aliud ponatur, aliquid est actu causa efficiens, & vera actione non posita, etsi quodlibet aliud ponatur, non est.* Minorem nemo, nisi qui fungum pro cerebro habet, ibit inficias. Ut enim per solam albedinem aliquid formaliter est album: ita per veram actionem verum agens; neque sufficit potentia activa, utpote qua aliquid tantum potens agere, non vero actu agens, constituitur. Majoris claritas fulget exinde, quod verum agens, in significato præciso ac metaphysico sumtum, cum causa efficiente formaliter est unum idemque, sicuti fatentur omnes quotquot huic se immerferunt salo. Unus forsan *Timplerus*, novarum iste opinionum propola, ex alieno hic sapit jecore

core, & contra Scholasticos affirmat, *omne agens esse quidem causam efficientem sed ex aduerso non omnem causam efficientem esse agens, quum agens sit sola substantia, efficientes autem cause ex accidentium quoque sint numero.* Verum digne, ut scilicet, excipitur ab auctoribus non pessimis intempestiva hæc *Timpleri* subtilitas; eadem scilicet facilitate, qua adseritur, etiam rejicitur, & ostenditur, accidentia non magis dici posse efficientia, quam agentia, neque ullum dari posse efficiens, quod omni actione careat. Consule *Sparezium*, (a) *Conimbricenses*, (b) *Ruvio*, *Rod. de Arriaga*, (c) *B. Stablium*, (d) *Jacobum Martini*, (e) *Scheiblerum*, (f) & ceteros, qui materiam hanc uberius pertractant, simulque *Herveyi*, *Soncinatis*, *Javelli*, *Cajetani*, *Fonseca*, opiniones atque objectiones (quas, ne iliada post Homerum scribamus, subticemus.) accurate refellunt. Sui itaque talo firma stat nostra conclusio, illamque aliter infringere nemo potest, quam in medium adducendo exemplum, alicujus causæ vere efficientis, quæ dum & quatenus actu efficiens est, nullam omnino exercet actionem; quæ quidem num inter causas vere morales inveniri queat, nunc dispiciendum venit.

XI. Afferri autem ex earum numero potest (1) *is, qui aliquid fieri non impedit, quum possit ac debeat.* Exemplum familiare est *naucleus*, qui, quando officii sui partes suscipit, de quoque habens, *naufragium* oborta tempestate non impedit, quod potest ac debet, vera dicitur *naufragii causa*, nec ulla tamen apparet actio, per quam in submersionem navis influat. *Nihil enim agit, sed tantum non impedit, & ita per puram omissionem causa est.* Quid? quod (2) *Aristoteles ipsam gubernatoris absentiam, omni certe carentem actione, submersionis causam esse statuit, quam moralem hodie vocitare consuevimus.* Adjungi potest (3) *is, qui causa vere moralis est alicujus effectus tunc, quando non existit, ubi profecto veram neutiquam exercere potest actionem.* Ita *Jonathan, dudum defunctus, causa fuit beneficiorum Mephibosetho a Davide exhibitorum.* Quum enim *David meritorum, sibi a Jonathan, dum viveret, prestitorum, recordaretur, inducebatur ad benefaciendum Mephibosetho propter Jonathanem ipsius Patrem, tunc non amplius existentem, & sic Jonathan mortuus causa moralis erat misericordie in Davide erga Mephibosethum sine ulla actione; nam mortuo nulla convenit.* Ab his & similibus causarum vere moralium, atque adeo vere efficientium, exemplis duci potest argumentum contra nostram, modo stabilitam, adsertionem, a quo vindica-

(a) Disp.
Met. XII.
f. 10.

(b) in II.
Phys. cap.

VII. q. 7.

(c) in II.
Phys. tract.
4. quæst. 1.
num. 8.

seqq.
(d) Disp.
Phys. 9. f. 3.

(e) Reg.
Ph. Omnis
causa agit.
Comp. Met.

cap. XI. p.
142. seqq.

(f) Partit.
Met. lib. I.
f. 9. q. 3.

(g) Op.
Met. lib. I.
c. 22. n. 15.

II. Phys. t.
30. V.
Met. cap. II

II. Samuel.
lis IX. 1. 7.
seqq.

(a) Disp.
Met. XII.
f. 10.
(b) in II.
Phys. cap.
VII. q. 7.
(c) in II.
Phys. tract.
4. quæst. 1.
num. 8.
(d) Disp.
Phys. 9. f. 3.
(e) Reg.
Ph. Omnis
causa agit.
Comp. Met.
cap. XI. p.
142. seqq.
(f) Partit.
Met. lib. I.
f. 9. q. 3.
(g) Op.
Met. lib. I.
c. 22. n. 15.
II. Phys. t.
30. V.
Met. cap. II
II. Samuel.
lis IX. 1. 7.
seqq.

dicare eam tentabimus, ubi prius non nulla majoris evidentiae gratia fuerint notata. (1) *Negari sine vana persuasione nequit, non aliam ob rationem quippiam alicui ad laudem vel vituperium jure posse imputari, nisi quod illud intendit (sive directe, per expressum voluntatis actum expetendo, sive indirecte, expetendo aliud, ex quo id per se sequi, vel certe, ne sequatur, periculum subesse, novit.)* Et exinde ad ipsum producendum aliquid contulit, (seu positive, actione quadam externa, seu negative, externe actionis, qua effectum impedire poterat & debebat, omissione. Unde quum pro causa morali habeatur, cui effectus, etsi illum realiter non influit, juste ad laudem vel vituperium potest imputari, ratio vero & fundamentum imputationis sit ipsa moralis causalitas, quænam ea sit, ex hisce satis evadit perspicuum; videlicet est ea effectus intentio, sive directa, sive indirecta (quæ in directa alterius, ex quo effectum per se sequi, vel, ne sequatur, periculum esse, liquet, consistit) per externam quandam, ad ipsum aliquid conferentem, actionem, aut externe actionis, qua effectus impediri poterat & debebat, omissionem sese exserens. Pluribus hæc & acute præ cæteris exposuit maxime Rev. Dn. D. Petrus Musæus, cujus aliquot verba, huc præcipue facientia, transcribere est volupe: *Necessarium, inquit inter alia, causa moralis consequens est, ut effectus ipsi recte sive jure imputetur, bonus quidem ad laudem & premium, malus verò ad culpam & pœnam. Quem in modum causa physica, qua tali, effectus imputari nequit: neque enim influxus in effectum per se & absq; intentione laudabilis vel vituperabilis est. Ut verò causa morali imputetur effectus, nulla sit alia ratio, nisi quod illum sive indirecte intendit, sive ex directa intentione aliquid ad ipsum confert: ut ita omne momentum in intentione sit positum. Unde sepe qui influxum in malum quid ac indecens præstant, extra culpam censentur positi, quod ignorantia insuperabili laborantes præter omnem intentionem egerint. Contra alii, qui influxum non præbuerunt, saltem propter eam reprehensionem ac pœnam incurrunt, quod quicquid ab alio designatum sit flagitii, intenderint ipsi quoque; & aliquid, sine quo patratum non fuisset, contulerint. Pari modo, paucioribus tamen, hoc in negotio sese declarant B Homborgius (a) & Capsius, (b) dum uterque ait: *Causalitas causa moralis est intentio, exserens (exercens) sese per actionem vel certe causa effc. (per certi) alicujus actus omissionem, absq; qua effectus non fieret. Huc**

(a) Disp. Met. VII.

(b) Disp. pecul. de causa effc.

quoque digitum intendisse videtur *B. Stablius* in definitione causæ, quam haut ita pridem in lucem protraxit Præclarissimus Dn. *Casparus Posnerus*, Præceptor noster obsequiose honorandus, & hæc est: *Causa est principium aliud, in quod influit esse, aut si non influit, intendit tamen illud actione, aut omissione ejus ad id aliquid conferente.* Tot ac tanti Viri hanc, quam diximus, causæ moralis causalitatem esse unanimiter arbitrantur, quorum in arbitrio cur nunc non acquiescamus, prægnans equidem nondum videmus argumentum. Si vero quis habeat, ex quo efficaciter id impugnari posse credat, illi num satisfacere queamus, pro viribus experiemur.

XII. (2.) *Nullum est dubium, quin intentio sit vera actio, adeoque, omnis intendens verum agens.* Est enim intentio, uti hic accipitur, actus quidam voluntatis, a qua tamen potentia activa immediate, licet non in externum subiectum, dimanat, & ita actio immanens, quam veris accenseri actionibus, ostensum est paulo superius. (3.) *Certum quoque est, aliquem id, quod impedire potest ac debet, nec tamen impedit, si non directe, indirecte tamen intendere;* sicuti docent inter alios *B. Slevogrius* (a) & ante nominatus Dn. *D. Musæus*. (b) (4.) *Omnes ut ungues suos norunt, in assignanda efficiente rei cujusdam causa sepe numero non adducunt causam, quæ efficit, seu principium quod, sed id, quo alterum efficit, seu principium quo, ut loqui amant.* Exempla quærenti passim sunt obvia. (5.) *Diffiteri nemo potest, cum causa morali sic comparatum esse, ut, quem intendit, effectus in esse physico prius non constituatur, quam ubi physica causa suam quoque, exercuit causalitatem.* Estque hujus rei ratio in promptu: nimirum, quia causa moralis effectum, quem per physicam producere intendit, absolute nunquam producit, aut producere valet, sine intermedia causæ physice in istum actione, ideo necesse est, ut, quando & quamdiu hæc omittitur, tunc & tamdiu intentus a causa morali effectus esse suum non adipiscatur. Tametsi vero hoc veritati omnino sit collactum; nequaquam tamen ex eo debet colligi, quod physicus, physicam causam formaliter constituens, influxus ad ipsam causæ moralis causalitatem, in se ac præcise spectatam, sit necessarius, illamque essentialiter ingrediatur. Etenim, quod nemo facile inficiabitur, si causa moralis, comparata cum sibi opposita physica, est causa totalis, & adæquate distinguitur a physica, fieri sane non potest, ut tota hujus ratio formalis includatur in formali ratione

Disp. Phys.
de causar.
gener. § 5.

Confer doctrinam ethicorum de actionibus.

(a) de caus. mor. § 39. de volunt. § 41.

(b) Disp. Met. cap. X §. 12. 13. 21. 24.

ne illius; sed, quum causæ adæquate inter se differant, ipsas quoque causalitates adæquate a se invicem distingvi oportet. Præterea Physicus physicæ causæ influxus semper posterior est ipsa moralis causalitate, ut pote quæ, si rata est & efficax, physica ad producendum effectum movetur, & tum demum, quando mota est, in eum influit, ubi causa moralis præter illam, quam antea ad physicam movendam exercuit, causalitatem, nihil quicquam confert. Unde omnino propria causæ moralis causalitas suo in genere integra ac perfecta est absque physica physicæ causæ in effectum actione; quanquam, nisi hæc subveniat, sola ad istum efficiendum absolute haud sufficiat; sicut e gr. ad hoc, ut physice perpetratum sit homicidium, non satis est, id quæpiam intendisse, & ex intentione aliquid, quo ad committendum homicidium adduci alter potest, fecisse (his absolvitur causæ moralis causalitas); sed violenta insuper requiritur manuum injectio vel alia quædam percussio, quæ homicida, ceu causa physica, physice in homicidium influit. Cæterum dum hæc ita enodamus, altera ex parte indissolubili fere implicari videmur nodo, quæ, antequam progredimur, solvere laborabimus. Scilicet hunc in modum nobis insurgere aliquis posset: *Si propria causæ moralis causalitas perfecta est sine physica physicæ causæ actione, erit aliquid actu causæ moralis ante effectus existentiam; quod falsum, siquidem ubi nullus effectus, ibi nulla quæque causa, & quando aliquid causæ moralis est, tunc illi quidam imputari debet effectus; at, si nondum est, quomodo imputabitur? Consequentia claret ex eo, quod causalitas est formalis causæ ratio, quæ posita, non potest non poni causa; effectus vero, a causæ morali intentus, prius non producitur, quam ubi physica, per præviæ moralis causalitatem mota, suam quoque, exserit causalitatem, physicam puta actionem, quam quia non statim, sed sæpicule multo post, imo nunquam exercet, manifeste ex dictis hoc sequitur absurdi, posse aliquid esse causam moralem, etiamsi effectus nondum existat, sive deinde magnum post temporis intervallum, sive etiam nunquam, eveniat.*

XIII. Hoc ad argumentum satis speciosum ut breviter respondeamus, negamus, absurdum esse consequens. Ne vero rimeris aut mireris, quomodo, nondum existente effectus, aliquid per actualem causalitatem sit & vocari queat causa actu efficiens, notabis cum sæpe citato Dn. D. *Museo, correlatum causæ actu nunc efficientis, si accurate*

quæ

quis loqui velit, non dicendum esse effectum, sive id, quod jam tum productum est, sed quod actu nunc efficitur. Innuit hoc ipse quoque Philosophus, dum in verbis supra allegatis τὸ ποιεῖν causam esse ait ἔ ποιεῖν, non ἔ ποιημένον, τὸ μεταβάλλον ἔ μεταβαλλομένον, non ἔ μεταβεβλημένον; estque ratio evidens: neque enim id, quod effectum est, quatenus effectum est, a causa actu adhuc dum efficiente ulterius dependet, sed tunc in esse perfecto est constitutum, atque sic ad producendum ipsum causa efficiens præterea nihil agit, quæ tamen non est actu causa, nisi quando ad producendum effectum jam actu præstat causalitatem, per quam is actu efficitur. Hinc patet, causam actu efficientem semper priorem esse effectui producto, quatenus est productus; quemadmodum architectus causa actu efficiens domus est tunc, quando actu ædificat, cum domus nondum est exstructa. Similiter se res habet cum causa morali: quamvis effectus, quem per causam physicam producere intendit, physice prius non perficiatur, quam ubi hæc quoque in eum influit; nihilo tamen minus, ut moralis causalitatem suam exercet, statim effectus, quatenus quidem ab illa dependet, fieri incipit; ejus quippe efficiendi principium hætenus actu ponitur, ipsa nempe causa moralis, suam nunc actu præstans causalitatem. Quando autem idem effectus non statim etiam physice producitur, tunc ne utique putandum est, causam moralem suam nondum perfecte exseruisse causalitatem (nam etsi mox physice quoque efficeretur, moralis tamen causa præter id, quod ad ipsum producendum contulit, nihil quicquam præstaret); sed sit hoc propterea, quod causa physica suo influxu nondum concurrat, quo sine moralis ad producendum effectum absolute non est sufficiens. *Imputationem* quod concernit, ea sive in actu primo, sive secundo, consideretur, ad formalem causæ moralis conceptum non pertinet, sed, ut bene docet nominatus Dn. D. Musæus, necessarium (in actu primo) causæ moralis est consequens. Propterea enim alicui effectus ad laudem vel vituperium jure potest imputari, & postquam innotuit, justo prudentium judicio imputatur, quia est causa moralis, non vice versa, quia juste imputatur, ideo est causa moralis, quum legitima imputatio in ipsa causæ moralis causalitate fundetur, atque ex ea, tanquam sua se prior ratione, sequatur. Quocirca non requiritur, ut tunc alicui merito imputeretur effectus quidam productus, quando actu moralem præstat causalitatem, sed sufficit, ipsum, postquam productus est, illi, qui causa moralis fuit, merito imputari posse propter causalitatem antea præstitam. Si quando vero contingat, ut effectus, ad quem efficiendum causa moralis suam causalitatem sufficienter præstitit, ex physici influxus defectu nunquam physice

Confer e
jussdem lib
11. Phys. t.
37.38. B.
Stahl. Reg.
Phil. Posita
causa poni
tur causatū
it. Compéd.
Met. p. 144
seq.

Disp. Met.
cap. X § 17



sice producat, concedimus quidem, non posse eum causæ morali imputari, *tanquam physice productum*; at quod nullo plane modo juste tunc imputari queat, non eo saltim, quo, propter causalitatem causæ morali perfecte exercitam, physice etiam ipsum fieri, fuit in proclivi, haud facile dixerimus, maxime, quia simpliciter ac præcise ad laudem vel vituperium non imputatur aliquid, quatenus *physice est productum*, sed quatenus a causa morali *est intentum*, ita, ut intentio per externam quandam, ad ipsum non nihil conferentem, actionem aut omissionem sese exseruerit. Et sane nemo prudentiorum propterea alicui incendium nulla plane ratione imputabit, quod, licet ignem eo animo, ut conflagrarent ædes, recto recte subjecerit, per Dei tamen hominumque providentiam conatus ejus factus est irritus: sed quia is omnia, ex parte incendiarii ad incendium necessaria peregit & ita se gessit, ut, nisi illud ex accidente fuisset impeditum, omnino illuxisset, deprehensus a Magistratu ad justam utique trahetur pœnam. Spectat huc, quod *Kimchi* de *Urijæ* nece ad Davidem ait: *Occidisti, posteaquam Joabo mandatum dedisti, ut occideret: ubi, monente B. Slevogtio, Davidem homicidam (moraliter) fuisse putat prius, quam Urija esset occisus.* Ergo quamvis Joab sanguinario Davidis mandato non obtemperasset, tamen in genere morum David fuisset homicida, atque sic culpa haud vacasset omni. Alia, quibus hanc rem uberius diducere possemus, siccò nunc præterimus pede. Est autem ex dictis opido manifestum, quod, si interdum causa physica id, quod moralis intendit, multo post (par est ratio, si ante) faciat, quam moralis illud, quo physica movetur, præstitit, inde minime concludere fas sit, eo in casu causam moralem tandem suam actu exercere causalitatem, quando physica, efficaciter mota, agit; sed, quum id, quo physica movetur, sit ipsa moralis causalitas (siquidem propter illud causa moralis est ac dicitur), necesse est, moralis causalitatem physicam physicæ actionem diu tunc antecessisse, ubi physica causa, magnum post temporis tractum efficaciter mota, influit. Unde sua sponte sequitur, in causa morali bene distingvendum esse inter *realem causalitatis*, quam exserit, *existentiam*, & inter ejusdem, ad physicam effectus productionem *efficaciam*. Causalitas nunquam existit, nisi quando ipsa existit causa, nec causa, nisi quando causalitas, siquidem hæc illius ratio formalis est, quam esse priorem aut posteriorem eo, quod per ipsam formaliter constituitur, contradictionem implicat. At efficax esse potest causæ hujus causalitas ad physicam effectus productionem post (vel etiam ante) realem sui & causæ existentiam, sicut exempla perlustranti patet.

XIV. Hisce ita expeditis devolvimur tandem ad succinctam eorum, quæ

Disp. de
caus. mor.

§. 23.

II. Sam. XI

14. 15.

quæ adsertioni nostræ obstare videbantur, solutionem. Ad primū *R* eū, qui aliquid fieri nō impedit, quū possit ac debeat, quatenus nō impedit, nullā quidē exercere actionē externā, per quā non impeditū immediate attingat & physice producat, aut ad ipsum producendū causam physicā positive moveat; verā tamen nihilominus exercere actionē internā, externæ actionis, quæ effectū impedire poterat & debebat, omissione sese exserentē, per quā formaliter & actu secundo causa moralis constituitur. Ita enim ex prænotatis argumentamur: *Omnis intendens est verum agens.* Ex notatione secunda. *Is, qui aliquid fieri non impedit, quum possit ac debeat, est intendens.* Ex tertia. *E. is, qui aliquid fieri non impedit, quum possit ac debeat, est verum agens. E. veram exercet actionem, ipsam puta intentionem, externæ actionis omissione, quæ effectum impedire poterat & debebat, se exserentem.* Atque hæc actio est, quæ ejusmodi non impediens in esse causæ moralis constituit, ne utique pura vel sola ommissio. Ita, quod exemplum erat, nauclerus nequaquam moralis naufragii causa est per puram omissionem, sed per hoc potius, quod, utut forsitan animum non induxit, curam gubernandæ & conservandæ navis prorsus abjicere, atque sic submersionem directe haud intendit, quæ assantibus tamen navem procellis, ipse somno plusculum indulget, aut vino obrutus de potestate mentis exiit, aut plane navi decessit, & ita indirecte saltim intendit actus, quo periculis occurrere poterat & tenebatur, omissionem ipsumque adeo naufragium. Quisquis igitur affirmat, eum, qui aliquid fieri non impedit, quum possit ac debeat, nullam plane exercere actionem, a qua formaliter possit denominari agens & causa moraliter efficiens, ille nequit subterfugere, quin simul etiam adserat, ejusmodi non impediens id, quod non impedit, quum possit ac debeat, non intendere, aut certe illius intentionem, externæ actionis omissione se exserentem, non esse veram & eam actionem, a qua ipse intendens formaliter possit denominari verum agens, & causa moraliter efficiens; quorum neutrum sane facile quispiam concesserit. Ad secundum *R*. ex notatione quarta, distinguendo inter principium quod, & principium quo. Illud, non hoc, intelligitur, quando de causa efficiente accuratus sermo est; absentia vero gubernatoris non est causa moralis, cui, ut principio quod, ad culpam imputari queat navis submersio; sed est id, per quod nauclerus (cui qualis hic competat actio, jam ante dictum,) moralis naufragii causa censetur. Consentit in hoc nobiscum ipse quoque *Aristoteles*, dum, quod de gubernatoris absentia dicit, eam esse causam, idem de eo, quod abest, hisce proxime præcedentibus affirmat verbis: *ἐν δὲ τῷ αὐτῷ τῶν ἐναυτῶν ἐστὶν αἰτία. ὅτι πᾶσαν αἰτίαν τῆς ἐπιπέδου καὶ ἀπὸν αἰτίαν ἐστὶν αἰτία.* In tertio admittimus lu-

Dn. D. Pet.
Mus. l. c. §.

24.

l. ibid. cit.

benter, illi, qui non existit, nullatenus veram convenire actionem; negamus autem, cum, qui non existit, tunc, quando non existit, actu id præstare, per quod causa moralis formaliter constituitur & physica potest commoveri. h. e. actu quippiam intendere, & exinde ad id producendum exteriori quadam actione aut omissione aliquid conferre; in quo formalis causa moralis ratio ponitur, ut constat ex notatione prima. Exemplum adductum aliq; ejusdem farinae quod concernit, distingvimus ex notatione quinta inter *realem causalitatem existentiam*, & inter ejusdem ad physicam effectus productionem *efficaciam*. Jonathan, dum adhuc in vivis erat, & præclare de Davide merebatur, directe intendebat beneficentiam domi suæ post obitum a Davide præstandam, & ex hac intentione istam a Davide precibus exorabat, atq; sic vivus, non mortuus, veram causa moralis causalitatem & actionem, intentionem pura, cum meritis & externo precatationis actu conjunctam, exercebat. Efficax autem utiq; erat hæc Jonathanis actio post ipsius mortem, ubi David, regiam indeptus majestatem meritorum recolebat memoriam, iisq; ad benefaciendum Mephibosetho efficaciter incitabatur. Atq; ita liquido patet; hujusmodi exempla assertioni nostræ nihil quicquam officere, nec reperiri hæctenus causam vere & actu efficientem, cui nulla omnino competat actio, ipsam formaliter constituens. Et certe omnis causa efficiens physica est aut moralis; si physica, physica actione in effectum influat, & ita vere agit; si moralis, effectum intendit, & inde externa quadam actione aut omissione, ad ipsum aliquid confert, adeoq; similiter vere agit; hæc enim intentio est vera, licet interna actio, a qua quispiam formaliter denominari potest verum agens & causa moraliter efficiens. Unde optime etiam B. Stevogtius, *causa moralis*, inquit, *semper est agens liberum*; quod fatetur etiam B. Homborgius, *causam moralem* definiens *agens liberum comparatione effectus, quem sua ipsius actione non attingit, cum tamen intendit. Et produci facit conferendo aliquid, sine quo illud alias non fieret*. Nec dissentire potest sapiens laudatus Dn. D. Musæus, siquidem causæ moralis rationem causandi esse vult *potentiam liberam* quæ communiter ad *activam*, ab Ipsomet t etiam, refertur. Imo Idem non obscure significat, in eam, quam tueri hæctenus conati sumus, se inclinare sententiam, dum, de causæ efficientis definitione disceptans, inter alia ita ait: *Fortis qvæ superigex Aristotele allata fuit descriptio, facile ampliari & in adequatam converti potest. Ea qvippe jam tum per se tam late patet, ut illas qvæq; causas efficientes, qvæ in effectum non influunt, complectatur, sicut vel ex primo exemplorum ei subjectorum, quod est βελωνος, is, qui consilium dedit, intelligere est. Quod si saltem in locum mutationis vel motus vox actionis sufficiatur, ad comprehendendam illam qvæq; causam efficientem, qvæ aliquid creat, vel ex nihilo producit; nihil dum aberit, qvæ in universalis & adequata emergat descriptio.*

XV. Quandoquidē igitur nihil amplius apparet causæ, cur a communi opinione, qua pro adæquata causæ efficientis causalitate habetur vera actio, recedamus, cui vis sane opido clarū evadit, non pessimā fore ejusmodi causæ efficientis definitionem, in qua differentia a vera peteretur *actio*, nulli præterea causarum generi conveniente. Quare nobis non displicet hæc vel similis: *Causa efficiens est causa, per activam, quæ pollet potentiam, VERAM exercens ACTIONEM*: quam quia cum genuinam causæ efficientis *rationem causandi, potentiam nempe activam*, tum propriam quoq; ejusdem *causalitatem, veram scilicet actionem*, distincte exprimit, tandem retinebimus donec indubitatum a quopiam ostensum fuerit causæ vere efficientis exemplum, quæ non per veram actionem, sed per aliud quippiam, actu & formaliter constituitur. Hoc ubi fuerit monstratum, lubentissime dabimus manus, & de meliori nobis gratulabimur mente, Tantum.

I. Sam. XX.

159

Disp. de

caus. mor.

§. 28.

Disp. Met.

VII §. 33.

Disp. Met.

cap. X. §. 26.

† Cap. III. §.

16.

* cap. IX. §.

19.


AB: 67 $\frac{13}{e,7}$


ULB Halle

3

005 949 122







B.I.G.

Farbkarte #13



is secundet!
em Metaphysicam:
 ficiens prima de-
 secundam; an vero se-
 rendum primam:
 IO PRIMA,
 RA ET
 ONE CAU-
 CIENTIS;
am
Salana,
 sophorum Senatu
 suffragante,
 S TREUNERUS,
 Philosophiæ Magister,
 S E S;
 &
 REINHOLDUS,
 s Thuringus,
 NDENS,
 unt examini
Sextilis
 oc LVI.
 Christiane!
 N Æ,
 MUEL KREBSIUS.

4

Cellario

4.

